

ov - nicht in der

10

U. g. 17, 9



65

Summo & Unico Legumlatore favente
DISPUTATIO POLITICA

DE

LEGIBUS,

Quam

Inclyta Facultate PHILOSOPHICA

in almâ philurêa indulgente

placida & publica Eruditorum dis-

quisitioni proponit

M. CHRISTIANUS Schlumpff/

Rensb. Hols. J.U. Licentiand.


Respondente

CASPARO HABERMAN, VVittmundâ.

Frisio, LL. Stud.

ad diem April. 1658.

H. L. Q. C.



LIPSIÆ, Typis Hæred. HENNINGI KOLERI.



V I R O
*Maximè Reverendo, Magnifico, Amplissimo
& Excellentissimo*

**DN. JOANNI
HULSEMANNO,**

S. S. Theologiæ Doctori, & Professori primario,
Consistorii Electoralis Ecclesiastici Adfessori, & Faculta-
tis Theologiæ Decano, Capituli Cizensis Præposito, Canonico
Misenfi ac Numburgensi, Seniori Academia Decemviro, Eccle-
siarum Lipsiensium & Vicinarum Superintendententi
Gravissimo,

*Domino meo Patrono ac Promotori submissâ
animi Devotione Colendisimo*

Dissertationem hanc Politicam velut quod-
dam grati animi argumentum

Observantissimè inscribo ac dedico

Casparus Haberman.

PRÆLOQVIUM.

NON deest equidem ulli nostrum Legislator
 us: Dedit æternum & prudentissimum Univerſi hu-
 jus Numen rationi rectæ imperium & ſceptra in totum
 hominem, ut communi quaſi membrorum ſocietati
 præſit, Leges & jura ferat, omniumq; & ſingulorum actiones ad
 ſociale totius corporis bonum ſelectat & dirigat. Non eſt autem
 perpetuum & proprium hoc Animæ imperatricis regimen: Turba-
 tur illud per creberrimos & ſeditioſos rebellium adfectuum motus:
 Tumultuantur hi, nec prius ſæpe quieſcunt, quousque extortis è
 prudentiſſimâ principis manu ſceptris cæco & inconſulto ductu flo-
 rentiſſimam hujus microcoſmi everterint Rempublicam, niſi ex-
 ternis & aliunde accerſitis viribus & auxiliis conſulat ſibi reſti-
 tuatq; communi ſe bono in regnum ratio, quo totius hominis peri-
 culo fuerat ante dejecta. Excogitavit in id prudentiſſimè, ut
 communiter homines, quemadmodum in corpore membra, ita ſub-
 ordinatis in ſocietate civili partibus & functionibus converſentur;
 unius ratio, idcirco quaſi inter ſe fœderibus alterius laboranti & ab
 affectuum inſultu oppugnata ſubveniat; mutua ſibi invicem ſubmit-
 tant auxilia; & ita incolumis ſit omnium & ſingulorum ſtatus &
 conditio. Hinc primò factum, ut qui ſingulari inter alios pruden-
 tiâ eſſent conſpicui, viderenturq; non ſibi ſolum ſed aliis etiam uti-
 liter præeſſe poſſe, publicâ autoritate & Magiſtratus nomine
 omnibus totius ſocietatis actionibus præſint, eaſq; ad ultimum ali-
 quod bonum dirigant & ducant. Quia autem eveniebat interdum,
 ut & hi habitam ſibi prudentiæ & bonitatis fidem fallerent, & pro-
 lubitu magis, quam bono & jure agerent, regulæ quædam à pruden-
 tioribus ex communibus bonæ rationis dictatis & juſſis collectæ,
 communi quaſi & publicâ conventionem receptæ fuerunt, ad quas
 examinarentur actiones civiles, an æquæ, bonæ, juſtæ, an iniquæ,
 vitioſæ, injuſtæ. Placuit eas vocare Leges. Quarum materiam
 jam fecimus noſtram; Ea ut quidem nobiliſſima & utiliſſima, ita
 A 2 ſanè

sanè est, quòd ab ea non minus quam Benevolo & erudito Lectore neglecti quasi cultus petamus veniam. Non licuit eam per plura negotia tractare dignè & pro meritis, delibavimus modo dissertatiunculâ hac non ipsius debito sed exercitio saltem suffectura. Cujus ergò subsequentes positiones, datâ interim materiae & Lectori de studio aliâ occasione & commodiori tempore eidem impendendo fide, submittimus, & communi inter doctos lege Rem à vocis tractatione ordimur.

THES. I.

UT, qui Studiosè aliàs origines vocum sectantur, diversas denominandi diversimode rationes probabiliter saepe reddunt, nec inconvenienter adeò aut absurdè inter se dissentiunt. Ita sunt qui deductum à Ligando Legis vocabulum adferant, haud improbabili adeo, ut mihi videtur, conjecturâ: Cum frequens apud Veteres vocalis I. in E. mutatio, & verum utiqve: Ferri in id legem, ut liget & obliget ad faciendum & præstandum aliquid, seu publicam seu privatam: Alii à legendo derivant, discrepanti tamen denominationis ratione: vel enim, quòd dum promulgetur lex prælegatur: (Non absurdè ita, quamvis ab accidenti, ut ad speciem saltem legis, non genus spectent:) Vel quòd lecta & selecta ex pluribus prudenti consultatione Lex demum feratur. Penes Lectorem erit, cui faveat. Nobis magis placet media.

THES. II.

Sumitur aliàs vocabulum Legis tripliciter, 1. latè, pro jure itidem non scripto, consuetudine & legibus naturæ: 2. strictè, quatenus his opponitur & denotat vel legem in specie positivam, vel expressâ approbatione, non tacito usu, constitutam. 3. strictissimè, quatenus in Republ. Rom. certa erat juris species Lex, quam populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante constituebat & opponebatur plebiscitis & aliis Romani juris speciebus.

THES. III.

Cæterum quæ in concreto & habito ad certam aliquam Rempubl. respectu diversæ sibiqve oppositæ erant juris species, & in genere & abstracto consideratae legibus saepe vocis significatio-

ne

ne æquipollent, inde promiscuè inter se communicant nomina,
Lex, constitutio, sanctio, statutum.

THES. IV.

NOS legem in concreto & latiori illo significato sumptam de-
finimus ita : Lex est summæ Majestatis jussum publicum,
actiones Civiles ad Sociale bonum obligans.

THES. V.

REM ipsam Varii variè describunt: Cic. lib. i. de LL. legem
rappellat rationem summam à naturâ insitam, quæ jubeat ea
quæ facienda sunt, & prohibeat contraria. Aliam legum descri-
ptionem desumpsit ex Demosthenis oratione priori adversus
Aristogitonem Papinianus, proposuitque, lib. 10. definit. quæ in
opus ff. collata, habetur in l. i. ff. de LL. Lex est commune præce-
ptum: Virorum prudentium consultum, delictorum quæ spontè
fiunt vel ignorantia contrahuntur coercitio, communis reipubl.
sponsio. Quæ tamen nec definitionis nec ferè descriptionis no-
men, sed saltem commendationis meretur, nec dubium est respe-
xisse Demosthenem, dum per prudentum præsertim virorum
consultum definit, ad Græcorum & imprimis Reipublicæ suæ
Leges, quæ ut plurimum authores habuerunt prudentes illos
quibus tum Græcia florebat, quorumque præceptis tota compo-
nebatur, ut fuerunt Zaleucus, Charondas, Lycurgus, Minos, Dra-
co, Solon, Pittacus, cujusmodi Leges recommendat Aristot. lib. i.
Rhetor. i. Cæterum cum & eæ leges sint, quæ quemlibet, qui maje-
statem habet, authorem agnoscunt, prædicatum hoc legum in ge-
nere consideratarum definitionem ingredi non poterit. Commu-
nem Reip. sponsonem itidem vocat, vel quatenus populus alicui
permittit communi consensu legis ferendæ potestatem, vel qua-
tenus populus leges latas, & propositas communi confirmat con-
sensu, quæ tamen neutrâ ratione leges v. g. à Tyranno latæ dici
possunt communis Reipubl. sponsio.

THES. VI.

PLURIMIS aliorum descriptionibus, quibus amplè quidem &
luxuriosè quasi legum naturam exprimere voluerunt, omissis,
legem in genere latiori significatione acceptam definivimus,
quod sit: Publicum summæ Majestatis jussum, actiones civiles ad
sociale bonum obligans.

A 3

THES.

THES. VII.

Generis loco ponimus jussum, convenientissimum, ut equidem videtur, genus: Qui enim in commune publicâ auctoritate aliquid jubet, legem condit. Et excludit vocabulum hoc à legum appellatione consilia, permissiones, & alia hujusmodi, honesta quidem, sed ita non obligantia, ut contra agere peccare sit, aut agere non rectè. Addimus in definitione, publicum, ut excludamus privata in aliis negotiis & rebus à summâ Majestate profecta dataque mandata, quæ propter obligationem, quâ mandatarium constringunt, legis equidem vigorem habere videntur, leges tamen propriè non sunt, eo quod in commune non ferantur. Innuimus & efficientem Legum causam vocabulis: Summæ Majestatis: sive jam ea penes unum ut in regno, sive penes optimates, sine populum resideat, ejus tamen jure & vigore leges feruntur, indeque robur suum accipiunt. Quantumvis enim & Magistratus dum statuta condunt, leges etiam ferre videntur, eæ tamen non nisi aut à Principis supremi confirmatione, aut ejus concessione & permissione, Magistratibus inferioribus factâ, valent, legisque habent virtutem.

THES. VIII.

Objectum legum in definitione dicimus actiones easque civiles. In uno hoc objecto universa prudentia civilis occupatur, ut nimirum actiones ad felicitatem communem & salutem Reipubl. dirigat, nec ulterius ea progreditur. Nihil ei juris in opinionem, nec huic βασιλική legum ferendarum facultati ea obtemperat. Restringuntur autem actiones hinc, adjecto civilium epitheto ad eas in quibus propriè *πραξις* est: Nam vegetativæ actiones & sensitivæ propriè sub legem non cadunt. Modum tractandi & considerandi objectum hoc exponunt ultima in definitione verba: ad sociale bonum i. e. commune bonum, communemque totius societatis civilis felicitatem obligans.

THES. IX.

Dividi variè solet Lex ab aliis, & primò quidem dividunt legem à causâ efficiente in divinam & humanam, divinam quæ à divina Majestate sit, & humanam quæ ab humanâ. Divina iterum dividitur in naturalem & positivam.

THES.

THES. X.

Legem seu jus naturæ crassius aliquanto definit Ulpianus, quod natura omnia animalia docuerit, cum tamen nec jus nec lex inter bruta propriè tanquam inter quæ nulla communio, nulla conversatio esse dicatur. Rectius faciunt qui legem seu jus naturæ nihil aliud quam rectæ rationis præceptum dicunt, & cum Hug. Grot. lib. i. cap. i. de jur. bell. & pac. definiunt: Dictamen rectæ rationis indicans actui alicui ex ejus convenientiâ aut disconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab autore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi.

THES. XI.

LEX hæc naturæ dicitur aliàs & ab Aristotele Jus naturæ, & in eo opponitur ab ipso juri positivo seu civili, quod ipse legitimum vocat quod hoc mutari possit, illud sit immutabile, quod ut declaretur, præmittendum ante omnia est, præcepta legis seu juris naturæ esse duplicia, quædam enim sunt principia, quædam saltem conclusiones: principia sunt universalia illa principia: *Cole DEUM, honora parentes, vive honestè, suum cuique tribue, neminem læde.* Hæc positivè vocantur esse juris seu legis naturæ: & hoc jus respectu hominum perpetuo constans est, nec ullo tempore mutabile. Conclusiones sunt, quæ à principiis per consequentiam & ratiocinationem deducuntur, circa ea, quæ vocantur adiaphora, quia naturæ jure nec honesta sunt nec turpia, nec præcepta nec prohibita, sed saltem permissa. In his legum civilium aliqua potestas est, ita ut illius usus impediri & variari possit. Talia sunt ea quæ utilitatem vitæ sustinendæ moderantur, bella, Dominia, libertates, commercia, Respectu quorum mutari quidem potest aliquatenus, non tamen everti planè pro ut equidem jus Civile seu positivum.

THES. XII.

Præcipit autem & inculcat Lex hæc naturæ actiones morales & virtuosas, quatenus nimirum secundum dictam Grotii definitionem convenire easdem humanæ naturæ ostendit. Malè autem ad legem hanc naturæ à multis referri videntur vegetativæ actiones, quæ à naturâ quidem utiq; sunt, sed non lege naturæ, nisi abusivè plane pro nudo instincto sumto legis vocabulo.

THES.

THES. XIII.

Insculpta est hæc Lex naturæ cuiusvis hominum. Et quantumvis corruptissimi interdum apud barbaras Gentes mores ferè philosophos etiam in errorè induxerint, ut statuerint, justum & turpe esse non naturâ sed lege scil. positivâ vel opinione: non minus inde exinde certitudo naturalis legis & juris destruitur quam positivi, cum contra hoc homines frequenter peccent. Nam & ut illi non obtemperent, adfectus, quibus succumbunt, causantur, cum præsertim corruptam habeamus nec incolumem post Adami lapsum naturam nostram, & proinde summa malitia & cæcitate per traducem quasi derivata plerique laboremus.

THES. XIV.

Huic autem postea defectui ut subveniret, lapsamq; naturam in hoc restitueret & sustentaret Supremus Legumlator, leges cordibus hominum antea insculptas iterata quasi sed aliâ sanctione, promulgando in monte Sinai Decalogum, in quo repetita plane est naturalis lex ea, quæ mutato paululum nomine moralis aliàs dicitur. Non tamen facta per iteratam promulgandi rationem positiva est, sed est mansitque ipsa illa naturalis & cordibus humanis inscripta lex, repetita tantum & solenniori sanctione stabilita.

THES. XV.

Altera divinarum legum species est Leges positivæ, quas nimirum Deus non quod aliquid sui naturâ bonum continerent, sed quia sic libuit pro liberrimo arbitratu vel universo humano generi, vel uni alicui populo dedit posuitque, Hujus generis sunt præcepta de sacrificiis, & similia.

THES. XVI.

Humana Lex est quæ hominem ipsum habet authorem: Hujus objectum sunt ea quæ jure divino naturali aut positivo sunt adiaphora: Harum ferendarum ratio tota ab ejus qui summam in republ. potestatem habet, pendet arbitrio, penes quem positum est pro usu reipubl. ferre, abrogare, antiquam mutare legem positivam.

THES. XVII.

Subdividitur autem lex humana in Civilem & Gentium. Civilis est, quam princeps unusquisque, aut penes quemcunque est majestas, singulis suæ Reipubl. Civibus aut subditis præscribit:

Gen-

Gentium Lex est, quam plures Gentes non fortuito, aut alterâ alterius imitatione, sed quasi ex compacto sibi inter se constituerunt. Differt autem à naturæ lege, quæ æquè omnibus communiter gentibus præscripta est, quod hæc à DEO, illa ab hominibus saltem inter omnes homines constituta sit.

THES. XVIII.

Dividi præterea Lex potest à formâ, eâque vel specificâ & essentiali vel accidentali. Ab essentiali dividitur Lex, quod aut expressâ voluntate sanciat & constituatur ab eo, penes quem ejus rei est potestas, vel tacito consensu & usu in Republ. recipiatur: Hoc enim modo & utendo rebus ipsis & factis voluntatem suam populus declarare, & ita quasi jus sancire intelligitur. Illo modo & quando expressâ sanctione & promulgatione voluntatem suam populus declarat, vocatur Lex, strictè sumto vocabulo. Hoc posteriori modo; Consuetudo.

THES. XIX.

Utriusque autem eadem in effectu vis est, nec minor consuetudinis quam legis, ut est apud Jctos l. 32. ff. de LL. Et quemadmodum alias posteriores leges derogare prioribus; Ita consuetudo subsequens legem ipsam tollere & abrogare potest, d. l. 32. ff. de LL. Nihil enim interest suffragio sive consensu expresso populus suam sententiam declaret, an rebus ipsis & factis, & dicitur consuetudo legem imitari §. 9. J. de J. N. G. & C. quæ tamen non indistinctè vera sunt, sed certis casibus, quos hîc addere institutum nostrum non admittit.

THES. XX.

Ab accidentali formâ dividuntur leges & jus in scriptum & non scriptum, & sunt qui divisionem hanc ab essentiâ & formâ specifica desumptam acriter contendunt, assumpto in sordalium Justiniano famigeratissimo apud Romanos Legumlatore, qui §. 4. J. de J. N. G. & C. jus suum, æmulatione & imitatione Græcorum, quam ipse d. §. jactat, dividit in scriptum & non scriptum; Et scripto complectitur omnes species Legum, quæ consuetudini opponuntur, per non scriptum autem consuetudinem indigitat. Et scriptum quidem Atheniensium, non scriptum Lacedæmoniorum legibus adsimilat, indubio ductus errore Lycurgi, leges consuetudinis tacito usu receptas fuisse, quod

non scriptis, sed memoriâ custoditæ fuerint. Quod non magis
verum, quàm quod Athenienses nullis usi fuerint in jure suo taci-
to assumptis moribus & consuetudinibus.

THES. XXI.

Quamvis autem Scripturæ plurimum leges debeant, nec vi-
deatur vere obligare citra Scripturam Lex, per quam pro-
mulgari & in notitiam civilem ut plurimum perveniat. In eo au-
tem omnis vis & virtus legis consistat ut obliget, eaque sit causa
ferendarum legum finalis: Veruntamen cum per accidens eve-
niat scriptura legi, citra eam etiam accuratius re consideratâ ob-
liget, cum aliàs ii, qui literas ignorant, legibus his non obligaren-
tur, quibus utique per Scripturam non innotescit, & alias etiam,
si Princeps v. g. aliquid in consilio suo disponat protinus disposi-
tio illa Lex sit; Utcunque enim necdum subditi omnes sciant,
nihilominus Magistratus juxta eam rectè pronuntiabunt: Quamvis
fanè, si coercionem delictorum respiciat, in quâ sit futura pœna
(ubi præsertim non ex ratione juris naturæ & Gent. pœnam ejusmodi delictum meretur) in eos, qui legem ignorant,
iniquè secundum eam jus reddatur: Utiqve ergo non Scriptura
sed expressa sanctio & promulgatio, quæ per præconem etiam, ut
in bello plerumqve accidit, fieri potest, forma illa specifica est,
quæ à consuetudine non expressâ voluntate, sed tacito usu recep-
tâ, distingvit. Evidentissimum rei exemplum dicta jam præce-
denti thesi Respubl. Spartana præbet, in quâ, ut dictum, leges latæ
non scribebantur, sed memoriâ custodiebantur. Utiqve autem
quas sanxit Lycurgus Spartanis leges fuerunt, quem consuetudi-
nibus & moribus usu ante receptis inhæsisse Respubl. penitus
mutatâ credibile non est. Fuit idem olim & Romæ, ubi teste
Dionysio Halicarn. in scriptis leges Romulus non proposuit.
Idem & Numam fecisse author ipse testatur & multa eum consti-
tuisse, τὰ μὲν ἐν γράφοις περιληφθέντα νόμοις, τὰ δὲ ἔξω γραφῆς.
Et in Summa dicendum, legem dici jus scriptum, non quòd de
legis essentiâ sit scriptura, aut ad eam substantiandam pertineat,
sed quia conferat ad probationem legis & expeditiorem cog-
nitionem, quemadmodum, si probandorum causa contractuum &
conventionum scripta instrumenta conficiuntur, ea non ingre-
diuntur essentiâ contractuum ipsorum, sed probandis iis sal-
tim inserviunt.

THES.

THES. XXII.

HÆC de definitionibus & divisionibus Legum sufficienter
Pauca de earum observatione adhuc & obligatione addere
libet; Et quidem leges indistinctè omnes obligare dubium non
est, hoc tamen ordine, ut superior semper deroget inferiori, i. e.
si aut totæ sibi contrariantur, aut certo in casu servari simul ne-
queant, uti tum obligatio legis inferioris à superiore seu dignio-
re impediatur. Constat autem divinam legem superiorem esse
humanâ, & inter divinas, naturalem esse digniorem positivis.
Atque hinc dubium non est, si humanâ lege quid jubeatur, quod
divinâ vetitum sit, quod illâ jussum, eo casu, cum Deo magis
quàm hominibus obedire Apostolus præcipiat, non obligare.
Gradus hi observandi non tantùm in diversis legum speciebus,
sed etiam iisdem respectu principiorum & positionum certis
itidem quasi gradibus sibi subordinatorum, ut in jure naturæ
hæc præcepta utiqve sibi subordinantur DEUM Cole, Parentes
honora: & prius illud tanquam superius præceptum utiqve de-
rogat posteriori.

THES. XXIII.

QVia autem communia sunt legis præcepta, ideoque omnes
communiter obligant in societate civili constitutos, adeò ut
& principem ipsum, quamvis non vi coactivâ, sed obligativâ aut
directivâ. Et utiqve Principi non licet leges, quæ dicuntur Reip.
alicujus fundamentales violare: Unde solum se Imperator
legibus jactat, decorum tamen secundum eas vivere fatetur.
Executio utiqve in Principem delinquentem non datur, nisi vio-
latis fundamentalibus legibus regni, quo casu ex communi con-
ventionem, quam ipse violasse & fregisse videtur, nulla ipsi debe-
tur amplius obedientia & fides. Interim semper salus populi
suprema lex esse debet.

THES. XXIV.

DE ferundarum legum modo differere modo supersedemus,
cum varia præsertim in variis Rebus publicis sit constituen-
darum earum ratio. Solennis maximè fuit apud Græcos & Ro-
manos. Coeterùm si ab eo, cui Majestatis jus hoc ferundarum
legum & constituendi juris competit, aliquid disponatur, pro-
tinus utiqve lex est, unde non idem v. g. in regno, qui in politia
legis

legis ferendæ modus est. Quod enim Principi placet statim lex est, qui facilius voluntatem suam legis causâ efficientem declarat, quam populus per suffragia, quod jurisprudentia Romana testatur, ubi modicæ fuerunt leges in statu populari, & præter leges 12. tabb. & singulares aliquas, quas facile numerarunt Antonius, Augustinus & alii. Edicta itidem prætorum, processum magis quam jus ipsum concernentia, nihil fuerit. Devoluta autem ad Principes Imperii & legum summa, subita mox mole seipsam Jurisprudentia obruit.

THES. XXV.

Durat Lex semel lata & obligat eousque, quo aut tacitâ desuetudine & consuetudine in contrarium, aut expressâ antiquatione & mutatione abrogetur. Quam inconueniens autem & noxium hoc, tanquam quo uniuersa omnium legum authoritas imminuitur & violatur, Aristot. l. 2. Polit. ubi de legum mutatione pro & contra disputat, & ex hoc capite aliorum Respubl. reprehendit, satis abundè demonstrat. Plura fuissent, quæ & addi potuissent & debuissent, de virtutibus legis, breuitate & perspicuitate, quæ studio omittimus, ne materiæ festinantissimâ hâc dissertatiunculâ satisfacere voluisse, videamur. Sufficiat modo tantumdem materiæ, quantum exercitio: Nunc cum præsens institutum, nec temporis nec operæ ulterius aliquid impendere patiatur, esto cum DEI Gloria.

F I N I S.



94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle 3
002 381 974




56.

17-17



A Spiritu Sancto et ceperunt loqui in
omnes et omnia que in
humana dicitur in illis. Et in



65

Summo & Unico Legumlatore favente
DISPUTATIO POLITICA


DE
LEGIBUS,

Quam
Inclyta Facultate PHILOSOPHICA
in almâ philurêa indulgente
placida & publica Eruditorum dis-
quisitioni proponit

M. CHRISTIANUS Schlumpff/
Rensb. Hols. J.U. Licentiand.

Respondente
CASPARO HABERMAN, VVittmundâ.
Frisio, LL. Stud.

ad diem April. 1658.
H. L. Q. C.



LIPSIÆ, Typis Hæred. HENNINGI KOLERI.

